Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26144
Copyright: Admont, Benediktinerstift

nichil differimus in uariantibus eum. quid nobis erit
solatium? De cetero ipse nos uocauit ad celum. nos
autem nos ipsos in gehennam impulimus. Mendacium
et furtum et adulterium diffusa sunt super terram.
Alii quidem sanguinem fundunt. alii causas agunt
sanguine peiores. plurimi uero eorum qui in uariantur plu
rimi eorum quorum res auferunt decem milia mortes imprecantur
quam illa pati. et nisi timore dei reuocarent seipsos in
terimerent. Hec quoniam non sanguine peiora sunt. Ita michi
anima quoniam periit iustus de terra. et recta agens
in hominibus non est. nunc et nos clamemus de nobis ip
sis primum. Sed mihi consociamini ad luctum. fortassis
enim quidam augurantur et irrident. propterea magis ex
tendere oportet luctum. Quia ita insani sumus et
dementes facti sumus et neque quia insanimus agnos
cimus. sed in quibus oportebat gemere ridemus. Reue
labitur o homo ira dei de celo super omnem impietatem et
iniquitatem. omnibus deus manifestus ueniet et ignis ante
eum precedit. et circa illum tempestas ualida. Ignis
in conspectu eius consumit. et inimicos inflammauit
in gyrum. Dies domini sic clibanus ardens. et nemo hec in
mittit in mentem suam. sed ueluti fabulas contempnimus
hec terribilia et metuenda decreta. nullus audiens
obstupescit uel congelescit. Omnes irrisores uel illusores
facti sunt. Quis nobis erit aditus? unde salutem reperiamus?
Periuimus. consumpti sumus, in risu inimicorum nostrorum et illusio facti sumus.